

I

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

DECRETUM DE QUINQUENNALI RELATIONE A RELIGIONIBUS, A SOCIETATIBUS VITAE COMMUNIS ET AB INSTITUTIS SAECULARIBUS FACIENDA (*)

Cum, transactis iam viginti quinque et amplius annis a publicatione Decreti Sancitum est, sub die 8 Martii 1922, quo ordinabatur relatio quinquennalis a Supremis Religionum Moderatoribus ad Sanctam Sedem mittendam (c. 510), experientia clare docuerit quatenus ex ibi praescriptis confirmanda definitive videantur, quatenus illis adenda, quatenus autem demenda aut corrigenda sint, prout a dicto Decreto iam innuebatur, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita incoetur plenario Eminentissimorum Patrum diei 4 Julii 1947, quae sequuntur statuenda decrevit:

I. Ad normam Codicis (can. 510) Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae (can. 488, 8), Moderator Supremus cuiusvis Religionis et Societatis vitae communis absque votis publicis (can. 675) pariterque Moderator Supremus Instituti saecularis iuris pontificii et praeses cuiuscumque Foederationis domorum Religionum, Societatum in communi viventium vel Institutorum saecularium, ipsisque deficientibus vel impeditis, eorundem Vicarii (can. 488, 8.^o), quinto quoque anno relationem de statu Religionis, Societatis, Instituti vel Foederationis ad Sanctam Sedem, scilicet ad hanc Sacram Congregationem Negotiis Religiosorum praepositam, mittant, etiamsi annus pro exhibenda relatione assignatus, ex toto vel ex parte, in primum biennium ab inito regimine inciderit.

II. Quinquennia sint fixa et omnibus, uti supra (n. I), communia, ipsaque a die prima Ianuarii 1923 computari pergant.

(*) A. A. S., 40 (1948), p. 378-381.

III. In relationibus exhibendis ordo, prout sequitur, servetur:

1.º Ex Religionibus, Societatibus vitae communis, Institutis saecularibus ac Foederationibus iuris pontificii virorum relationem mittent:

primo quinquennii anno: Canonici Regulares, Monachi, et Ordines militares;

secundo anno: Mendicantes et Clerici ceterique Regulares;

tertio anno: Congregationes Clericales;

quarto anno: Congregationes laicales;

quinto anno: Societates vitae communis, Instituta saecularia et Foederationes.

2.º Ex Religionibus, Societatibus vitae communis, Institutis saecularibus et Federationibus iuris pontificii mulierum, habito respectu ad regionem in qua de jure domus princeps extat, relationem mittent;

primo quinquennii anno: Superiorissae Religionum ex Italia, Hispania et Lusitania;

secundo anno: Superiorissae Religionum ex Gallia, Belgio, Hollandia, Anglia et Hibernia;

tertio anno: Superiorissae Religionum ex reliquis Europae regionibus,

quarto anno: Superiorissae Religionum ex Americae regionibus;

quinto anno: Superiorissae Religionum ex aliis orbis partibus et insuper Superiorissae Societatum vitae communis, Institutorum saecularium et Foederationum totius mundi.

IV. Ut Sacra Congregatio necessarias ipsasque certas et authenticas notitias sibi comparare valeat illorum omnium Monasteriorum domorumque sui juris, virorum et mulierum, iuris pontificii, quae ad quinquennalem relationem transmittendam ex can. 510 non obligantur, necnon Congregationum Societatum vitae communis et Institutorum saecularium iuris dioecesani haec observanda sunt:

1.º Superiores majores Monasteriorum seu domorum sui juris virorum quae, etsi iuris pontificii nec ad Congregationem monasticam pertinent nec foederata aliis sint tempore et ordine supra definitis (n. III, 1.º), summariam quinquennii relationem ab ipsis et a propriis Consiliariis subscriptam Ordinario loci deferent. Ordinarius autem exemplar relationis a se subsignatum, propriis, si casus ferat, additis animadversionibus, ad Sacram Congregationem intra annum ipsum quo relatio facta est transmittere sataget.

DECRETUM DE QUINQUENNALI RELATIONE

2.° Superiorissae maiores Monasteriorum Monialium cum proprio Consilio, juxta ordinem supra (n. III, 2.°), pro Generalibus Moderatrici- bus statutum, brevem ac concinnam relationem quinquennii ab omnibus subscriptam Ordinario loci, si Moniales eidem subjectae sint, secus Superi- ori Regulari mittant. Ordinarius loci vel Praelatus regularis relationis exemplar, a se subsignatum, propriisque si, res ferat, animadversionibus additis, ad Sacram Congregationem intra annum ipsum quo relatio exa- rata fuit diligenter transmittendam curabit.

3.° Moderatores Supremi Congregationum, Societatum vitae commu- nis et Institutorum saecularium juris dioecesani relationem quinquenna- lem a se et a proprio Consilio subsignatam Ordinario loci in quo Domus princeps invenitur tempore et ordine supra (n. III, 1.° et 2.°) statutis ex- hibeant. Hanc relationem Ordinarius loci aliarum Domorum Ordinariis communicare non ommittat eiusque exemplar a se subsignatum, proprio aliorumque Ordinariorum circa Congregationem, Societatem vel Institu- tum saeculare addito iudicio, ad hanc Sacram Congregationem intra ip- sum annum transmittat.

4.° Domus religiosae sui juris et autonomae domusque Societatis sine votis vel Instituti saecularis, quae in Foederatione non coadunantur, sive juris dioecesani sint sive pontificii, ordine supra (n. III, 1.° et 2.°) defi- nito, summariam quinquennii relationem deferent Ordinario loci. Ordini-arius autem ejusdem relationis exemplar, a se subscriptum ac propriis, si casus ferat additis animadversionibus ad Sacram Congregationem pari- ter intra ipsum annum transmittat.

V. In exarandis relationibus omnes Religiones, Congregationes mon- asticae, Societates vitae communis, Instituta saecularia et Foederationes juris pontificii, etsi exemptionem fruuntur, adamussim elenchum quaes- tionum, qui a Sacra Congregatione proponetur ac directo eisdem commu- nicabitur, sequantur.

Monasteria Monialium, Domus autonomae Religionum, Societatum vel Institutorum saecularium juris pontificii, Congregationes, Societates atque Instituta saecularia juris dioecesani breviores pro ipsis probandas formulas adhibeant.

VI. Responsa propositis quaestionibus data, onerata pro rei gravita- te conscientia, sincera semper sint atque, accuratis praemissis informatio- nibus, pro viribus completa. Si in illis quae necessaria videntur deficient vel responsa incerta vel parum segura appareant, Sacra Congregatio ex

DECRETUM DE QUINQUENNALI RELATIONE

officio, prout opportunum judicaverit, non exclusis si opus sit immediate ab ipsa factis investigationibus, ea complenda curabit.

VII. Relatio, antequam a Superiore et a singulis Consiliariis seu Assistentibus ex officio subsignetur, praevio maturo, personali ac colectivo examini subiicienda est.

In mulierum Religionibus, Societatibus vitae communis, Institutis saecularibus ad Foederationibus juris pontificii Moderatrix, suprema relationem, a se et a suo Consilio subscriptam, Ordinario loci Domus generalitiae transmittat, ut ipse ad normam juris (can. 10) eidem relationi subscribere valeat; relationem ab Ordinario loci subsignatam Moderatrix generalis ad hanc Sacram Congregationem remittendam tempestive curabit.

VIII. Si quis vero ex Superioribus vel Consiliariis, quibus onus incumbit subscribendi relationi, aliquid non parvi momenti eidem obiiciendum habeat, quod suo voto modificare non potuit, vel aliquid circa ipsam quoquo modo Sacrae Congregationi significandum putaverit, id per privatas litteras praestare poterit et iuxta casus, ex conscientiae officio ad id tenebitur. Verumtamen memor sit ipse conditionis suae et probe sciat conscientiam suam graviter oneratam iri si quid a veritate alienum secretis his litteris exponere praesumpserit.

IX. Sub cuiusque anni exitu omnes sive juris dioecesani sive pontificii, tam Religiones quam Societates vitae communis et Instituta saecularia ac Foederationes prospectus annuos juxta schemata in formulis a Sacra Congregatione exarandis ac communicandis contenta, praecipuorum quod ad statum personarum operum aliorumve quae sive Sacrae Congregationis sive Superiorum magis interesse videntur, directo Sacrae Congregationi de Religiosis transmittant.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. XII, in Audientia habita ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis de Religiosis, die 9 Julii 1947, praesentis Decreti tenorem approbavit et ab omnibus servari et publici juris fieri mandavit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

FR. L. H. PASETTO,
Secretarius.